

frigiditatis. Contra illa priuatio differt totaliter a frige factio ergo non est terminus a quo negatur consequentia. Alij dicunt quod virga pro media parte arida continuatur alteri per materiam sed non per formam. Sed contra materia et forma per idem continuantur scilicet per quantitatem.

Ad secundum dicit sanctus thomas. 4. phi. le. 18. quod motus reflectionis non est continuus quia eodem puncto bis utimur. scilicet ut principio et fine et ideo ille motus non est continuus sed intendit que est media.

Vel dicatur sicut ad primum. Ad aliud dicitur quod corpus pyramidale non potest continuari linee. Licet linee unius corporis possint continuari cum lineis alterius.

Ad tertium dicunt quidam quod alia est forma in partibus hominis et in toto homine. Et ideo partes differunt specie et sunt in actu nec continuantur unde S. T. in quarto dicit partes etherogenei esse alterius speciei. d. 44. q. 1. ar. primo. q. 3. et p. par. que 11. ar. 2. dicit quod partes totius etherogenei carent forma totius sed materia nunquam est sine forma ergo in partibus hominis est alia forma. Et primo phi. lec. 8. dicit quod toto sunt aliquae partes actu ut caro et os. Alie sunt partes in potentia ut sunt partes continui videtur ergo quod caro et os non sunt partes continue sed dicendum quod iste partes quantum ad suas qualitativas dispositiones non continuantur et ut sic possunt dici differre specie tamen in vno composito est tantum una forma substantialis alias non esset per se unum secundum S. T. 1. p. q. 76. ar. 4. et 3.

Ad quartum dicitur vno modo quod per accidens continuantur. Ratione temporis continui. Ad aliud dicitur quod aliquando diversi motus ordinantur ad eundem terminum et in specie differunt ut facere fundamentum domus et erigere columpnam.

Ad quintum patet ex secundo phi. vel dicitur quod angulus rectus non est absolute alterius speciei ab acuto sed est medietas eius sed contra tunc angulus etiam contingente esset eiusdem speciei cum angulo recto quia est pars eius. Forte dicitur concedendo illatum. Contra omnis pars vel est pars proportionabilis vel est pars eiusdem quantitatatis sed angulus contingente nullam habet proportionem ad rectum licet acutus habeat proportionem ad ipsum quia aliquando est medietas eius ergo habet proportionem subduplam.

Ad aliud dicit sanctus thomas. 10. ethico. lec. 5. quod omnes linee in quantum huiusmodi sunt eiusdem speciei sed in quantum sunt in certo situ vel loco differunt specie secundum diuersitatem locorum que est secundum ordinem ad primum continens. Sed arguitur quod linee non distinguuntur per situm quia in toto homogeneo diuersitas situs non aufert diuersitatem a partibus ut si medietas linee posterior ponatur ante adhuc est eadem linea numero ut dicit.

S. T. in quarto di. 44. q. 1. arti. 1. q. 3. distingue de situ ut supra dictum est.

Ad sextum satis patet ex 3. et 4. phi.



Ad quartum sic proceditur quod ad unitatem motus non requiratur unitas mobilis unitas termini ad quem et unitas temporis quia si canis unus cadat deorsum et cadendo moriatur in medio totus ille motus est unus et continuus et tamen mobile non est unus. Si dicatur quod canis non mouetur deorsum in quantum canis sed in quan-

tum corpus vel aliud modo manet idem corpus griseum et hoc sufficit ad unitatem motus. Contra etiam corpus graue non manet idem numero quod prius erat canis et nunc est corpus mortuum. Sed contra est philosophus.

Respondeo dicendum ad cognoscendum unitatem et diuersitatem motus secundum substantiam supponit quod motus tripliciter dicitur unus. scilicet genere specie et numero. Nam unitas motus vel sumit ab esse et sic est numeralis: vel a parte essentie et sic est unitas generica vel a tota entitate sic est unitas specifica.

Notandum preterea quod illi motus dicuntur unus secundum genus que sunt in vno predicamento et ideo motus localis et alteratio genere differunt quia modo motus distinguuntur per terminos sed motus predicti habent terminos alterius generis: et ex eodem infertur quod illis motus sunt vnum specie qui sunt ad vnam formam specie. Et per idem medium specie et ideo dicit philosophus quod motus factus per cordam non est eiusdem speciei cum motu facto per arcum licet sit ad eundem terminum sunt enim per rectum et circulare que specie differunt.

Conclusio ad unitatem numeralem motus que est unitas simpliciter requiritur unitas mobilis terminus et termini ad quem patet quia motus dicitur unus non per diuisibilitatem cum omnis motus sit diuisibilis ergo dicitur unus continuitate sed ad continuitatem motus illa tria requiruntur ergo et ad eius unitatem. Ad hoc patet quia continua sunt illa quorum vltima sunt vnum ergo si sit alius terminus non erit idem vltimum ergo motus non erit continuus.

Item omnis motus habet principium medium et finem in tempore ergo debet habere vnum tempus et quia omne accidens numeratur per subiectum ideo ad unitatem motus requiritur unitas mobilis simpliciter et per se secundum numerum.

Et ideo licet sortes et plato sint idem mobile specie tamen motus eorum non est unus numero nec dealbatio sortis et denigratio sortis licet sit idem subiectum quia est alius terminus. Ex hoc sequitur quod si sortes prius alteretur et postea cesset.

Deinde iterum incipiat alterari non est eadem alteratio numero que prius quia impossibile est idem corruptum numero redire. Sed contra alteratio precedens semper substantiam erat calor ut dictum est tertio phi. et similiter alteratio sequens est ipse calor sed est idem calor numero ut suppono ergo est idem motus numero. Dicendum quod motus accipitur dupliciter ut dicit comen. Primo quantum ad suam substantiam et secundum se. Alio modo quantum ad suum fluxum et sic motus aliquid addit supra qualitatem et ab ea distinguitur nec reparatur.

Querit P. an sit eadem unitas in homine de mane et de sero supposito quod non interueniat egritudo videtur quod non quia substantia est in continuo fluxu et mutatione ergo non manet eadem unitas potest dici sicut dicitur primo de gene. quod substantia anima manet eadem semper secundum partes formales licet mutetur secundum partes materiales. Hec dubitatio habuit ortum ab heraclito qui dixit res esse in continuo fluxu unde dicebat quod illud quod augetur in qualibet parte temporis augetur ut dicit sanctus thomas in secundo di. 19. in expositione textus quia impossibile est quod duo motus contrarii sint continui ergo inter generationem et corruptionem cadit